

gnole pii instituti surdorum ac mutorum in urbe protectore, cum etiam plures moderatores horum institutorum idipsum enixe postulaverunt, propositum fuit dubium huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum: *An et quomodo surdo muti supplere valeant impotentiae, qua detinentur preces recitandi pro indulgentiis acquirendis injunctas?* Re mature discussa tum prius ab uno ex praefatae Congregationis Consultoribus, tum demum ab Emmis Patribus in Comitibus generalibus apud Vaticanas Aedes, die 16. Febr. hujus anni habitis, ipsi Emmi Patres ejusdem Consultori voto adhaerentes responderunt: Supplicandum SSmo pro generali Decreto ab hac S. Congregatione evulgando atque apostolica auctoritate firmando, cujus vi statuendum: 1. Quod si inter opera pro lucranda indulgentia praecipta sit visitatio alicujus Ecclesiae, surdi muti Ecclesiam ipsam devote visitare teaneantur, licet mentem tantum in Deum elevent et ipsos affectus. 2. Quod si inter opera sint publicae preces, surdo muti possint lucrari indulgentias iis adnexas corpore quidem conjuncti caeteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata et piis cordis affectibus. 3. Quod si agatur tandem de privatis orationibus, proprii mutorum et surdorum confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire judicaverint. Facta itaque de praefatis omnibus SSmo D. N. Pio IX. per me infrascriptum Congregationi Indulgentiarum Cardinalem praefectum relatione in audientia diei 15. Martii currentis anni, Sanctitas Sua non modo praedictum votum approbavit, verum etiam hujusmodi gratiam ac concessionem peramanter elargitam per generale Decretum publicari mandavit. Datum Romae ex Se-

cretaria ejusdem S. Congr. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae.

Loco † Signi.

Fr. Car. Asquinius, Praefectus.
A Colombo, Secretarius.

(Anal. J. P. 1855 pag. 736.)

SYLLABUS.

Vd.: *Tabella.*

SYMBOLUM.

1) S. Athanasii.

(Auctor, tempus et modus recitandi in choro.)

Symbolum sancti Athanasii, quod incipit: *Quicumque vult salvus esse*, ab ipso compositum fuisse traditur tempore, quo Romam a Julio Papa vocatus fuit, ut judicaretur; cum enim ibi Eusebianorum adventum per sequi annum exspectaret, hoc fidei symbolum scripsit ac tamquam catholicae fidei suae professionem publice edidit, quod deinde una cum actis Nicaenae Synodi, cui ipse Athanasius praesens interfuit, in Archivio romano diu asservatum fuit, donec tandem post multos annos Ecclesiae recitandum, tradi meruerit, *Baronius* ad annum Christi 340 et ad notas, in *Concil. roman. II. tom. 1. part. I. Conciliorum Fagnanus* in cap. Firmiter 1. n. 33. de Summa Trinitate et fide catholica. *Reiffenstuel* lib. I. Decret. tit. I. n. 77., *Ciaccon* in *Vitis Pontif. tom. I. fol. 233. litt. A*; *Card. Petra* loc. cit. n. 16. et alii. Et quod tale symbolum fuerit compositum ab ipso sancto Athanasio testatur, ultra supradictos, *Belarminus* lib. de scriptoribus ecclesiasticis §. de sancto Athanasio circa finem; *Hincmarus Rhemensis* qui anno Christi 848 floruit, ita de ipso statuit: „Sermonem Athanasii de Fide, cujus initium est: *Quicumque vult salvus esse* etc. memoriae quisque commendet et sensum illius intelligat.“ *Ay-*

ton Episcopus Basileensis tempore Ludovici Pii in suo capitulari cap. 4. sic decernit: „Quarto, ut Fides sancti Athanasii a Sacerdotibus discatur et ex corde die dominico ad horam primam recitetur.“ Concilium Augustodunense editum anno Christi 670 ita sancivit: „Si quis Presbyter vel Diaconus vel Clericus symbolum, quod inspirante sancto Spiritu Apostoli tradiderunt et Fidem sancti Athanasii Praesulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab Episcopo condemnetur.“ Et ipsa catholica Ecclesia testimonium perhibet, praedictum symbolum sub nomine sancti Athanasii in divino officio recitandum praeponeans et mandans. Et S. Congregatio Rituum ipsum Symbolum S. Athanasii appellat, dum expressis his verbis de ipso sic censet: Symbolum s. Athanasii, quod dicitur ad Primam, laudabiliter in choro recitatur stando.“ Dicta Sacra Congregatio Rituum 23. Decembris 1624 apud La Croix lib. 6. part. 2. n. 2055 decret. 168.

Nihilominus *Cabassutius* Notit. ecclesiast. saeculi 2. dissert. 19. pluribus probat, sanctum Athanasium non esse illius symboli auctorem. Et *Graveson* tom. 1. *Histor. ecclesiast. colloqu. 4. pag. 367 et 368* primae impressionis romanae hoc Symbolum inter opera dubia s. Athanasii reponit plurimasque rationes adducit variorum auctorum, qui hoc Symbolum s. Athanasio abjudicant dicitque, quod aliqui illud tribuunt Eusebio Vercellensi, alii Vincentio Lirinensi, nonnulli Athanasio Sinaitae, alii Anonymo Theologo Gallo qui Pipini vel Caroli Magni temporibus floruit. Et alii denique longe plures hoc Symbolum tribuunt Vigilio Tapsensi in Africa Episcopo acerrimo sub finem quinti saeculi fidei catholicae defensori, qui multa opera scripsit et non suo, sed sub antiquorum patrum, praesertim sub nomine s. Atha-

nasii evulgavit: Unde dicit ipse *Graveson*, quod difficile creditu non est, hoc Symbolum fuisse editum a Vigilio Tapsensi sub nomine sancti Athanasii, et postea tom. 3. coll. 4. fol. 157. sic expresse habet: „Sed nunc convenit inter omnes viros eruditos, hoc Symbolum s. Athanasii nomine inscriptum non esse genuinum illius foetum.“

Ad dub.: An symbolum divi Athanasii a stantibus recitari debeat?

S. C. resp.: Laudabilem esse consuetudinem, ut a stantibus recitetur. Die 23. Decembris 1624.)

(Anal. J. P. 1863 pag. 169.)

Symbolum s. Athanasii in diebus infra octavam ss. Trinitatis, cum officium recitetur, non est recitandum, sed tantum in dominica sive festo ss. Trinitatis et ejusdem octava. N. 3348 ad 3. die 18. Decembris 1694.

In diebus infra octavam ss. Trinitatis, ubi est titulus Ecclesiae et in festis infra octavam dictam occurrentibus non debet dici ad Primam Symb. Athanas. n. 3809 ad 2. die 8. Junii 1709; n. 4478 ad 5. die 19. Septembris 1801; n. 4044 (*alia dubia*) dub. 13. die 5. Maji 1736.

2) Cantatur a choro.

Dum in Missa solemniter canitur Credo, non debent pulsari Organa: *Concil. provincial. Mediolanens. tert.* apud *Gavant* in *Manual. Episc. verb.*: Missa Conventualis sub. n. 22. ibi: Symbolum totum cantatur a choro, non alternatim cum Organo.“ Sic etiam *Caeremonial. Episcoporum* lib. 1. cap. 28 ac *Caeremonial. Ordinis Minor.* part. 4. cap. 9. quod tamen ibi n. 7. subjungit: Quod si numerus cantorum, seu fratrum sit modicus, poterit alternatim cantari a Choro et Organo sonante, duo Cantores legant alta et in-

telligibili voce, quae a choro non cantantur, ut sequitur ac docet etiam *Simon Buongiovanni* in sacrarum caeremoniarum silva lib. 2. cap. 10. vers.: Quod si. In hoc enim casu subintrat necessitas, quae facit licitum, quod alias est illicitum, cap.: Quod non est illicitum 4. de Regul. Jur. cap.: *Omnes* 1. de Fer., cap.: *Consuluisti* 3. de celebr. Missar. cum non subiaceat legi necessitas, cap.: *Consilium* 2. de observat. jejun., cap. *Sicut* 11. de consecration. dist. 1. cum multis similibus. Celebrans autem, dum canitur Credo, non potest prosequi Missam. Sacra Rituum Congregatio in Beneventana 13. Septembris 1670 et in Januen. 17. Decembris 1695.

3) In festis ss. Josephi, Annae, Joachim, Simeonis et Paulae Romanae in Terra sancta.

Constantinopolitana.

Commissarius generalis Terrae sanctae ordinis minorum observantium, attenta consuetudine antiqua illarum partium in festivitatibus quorundam sanctorum celebrandi missas supra eorum sepulchra, supplicavit concedi, ut liceat in festivitatibus sanctorum Josephi, Annae, Joachimi, Simeonis et Paulae Romanae eorundem missas dici cum Credo. Et Sacra Congregatio, proponente Emmo et Rmo Domino Cardinali Caesarino, censuit gratiam petitam esse concedendam. Die 8. Augusti 1643.

(Anal. J. P. 1863 pag. 295.)

4) Denominatio.

Symbolum dictum est a *Syn*, quod est simul, et *Bolus*, quod est morsellus, quia nempe Symbolum Apostolorum, quod est primum et a quo caetera appellantur Symbola, confectum est ab omnibus simul Apostolis, sin-

gulis eorum aliquem morsellum seu particulam quandam apponentibus: Sic Glossa in *Rubr. titul. de summa Trinitate circa finem*, et alia Glossa in cap.: *Canones* 1. verb.: *Apostol. distinct. 15.* et Canonistae passim: non desunt tamen, qui dicant, quod Symbolum graece, sonet latine indicium. Et sic Symbolum fidei fit quoddam indicium sive signum vel tessera aut nota Christianorum, quo veri fideles discernuntur ab infidelibus, nempe paganis, judaeis et haereticis, sicut a simili tessera illa, quam milites assumere consueverunt ad discernendum socios ab hostibus et exploratoribus, Symbolum militare appellatur, ut docet Rufinus Presbyter Aquilejens. fol. 169 in *Symboli apostolici Commentariis paulo post initium*, ibi: „Symbola distincta unusquisque dux suis militibus tradit, quae latine signa vel indicia nuncupantur, ut si forte occurrerit quis, de quo dubitetur, interrogatus symbolum prodatur, si sit hostis vel socius“: *Cardinal. Petra* tom. I. comment. in Constit. 2. Divi Leonis Magni, n. 6., *Card. Bellarmin.* praefat. ad explicat. Symboli apostolici; *Calepinus* verb.: Symbolum et alii.

5) Cur dicendam vel non dicendam in variis festivitatibus ss. Martyr., Confess. etc.?

Vd.: *Credo in Missa* ss. *MM.* etc.

Fatemur quod in festis ss. Martyrum, Confessorum et Virginum seu Viduarum aliarumque non Virginum, non debet dici Credo juxta illud vulgare dictum: *Muc non credit*, per cujus primam litteram *M.* indicatur, non debere dici in festis sanctorum Martyrum: per secundam *V* non debere dici in festis sanctarum Virginum et Viduarum; et per tertiam *C* non debere dici in festis sanctorum Confessorum, nisi sint Doctores Ecclesiae et nisi praedicti omnes Sancti et Sanctae sint Fundatores Ordinis, Patroni aut Titulares

Ecclesiae seu in ipsa Ecclesia habeatur eorum insignis Reliquia aut nisi talia festa venerint in dominicis et infra octavas festorum Symbolum habentium ut recte ex aliis notat Merati loc. cit. n. 8. in fine. Et ratio est, quia ut docent *Alexander Alensis* q. 10. de Sacrament. Eucharistiae §. 9. *Quarti* p. 1. titul. XI. de Symbolo vers.: Ex quibus et alii, de ipsis nulla fit mentio in Symbolo, neque in ipsis locum habent motiva, quae de aliis in dicta rubrica de Symbolo exceptis occurrunt. *Prima enim ratio seu motivum, cur dicatur Credo in variis ex ibi assignatis festivitatibus*, est, quia de ipsis fit aliqua mentio in dicto Symbolo, ut tradunt *Innocentius III.* de Mysteriis Missae lib. 2. c. 51., *Sanctus Thomas* 3. p. qu. 83. art. 4., *Durand.* lib. 4. cap. 25. *Quarti* loco cit. vers.: *Prima ratio; Gavant. et Merati* loco cit. Rubrica de Symbolo et alii passim. Et ob id dicitur in omnibus dominicis, quia dies dominici dedicati sunt in memoriam Resurrectionis Christi et cultum sanctissimae Trinitatis, de quibus Mysteriis fit mentio in Symbolo; quae ratio militat de omnibus festivitatibus Domini, de quo principaliter fit mentio in ipso Symbolo; sicuti de B. V. Maria ac etiam de Angelis indicatis per *ly Invisibilium*.

Secunda ratio seu motivum, cur dicatur Credo in aliquibus aliis ibi enumeratis est, ut docent *s. Thomas* loc. cit. *Quarti* loco cit. v.: *Secunda ratio et ipso teste, alii communiter, quia ipsi Sancti vel primo Symbolum composuerunt vel egregie Fidem in eo contentam propagarunt praedicatione et doctrina; et ideo dicitur in festis Apostolorum et Evangelistarum. Item in festo s. Mariae Magdalenae, quae ex Innocentio III. loco cit. fuit Apostolorum Apostola. Item in solemnitatibus Creationis et Consecrationis Summi Pontificis et consecrationis*

Episcoporum, quia ipsi sunt Successores Apostolorum; et in festis insigniorum Doctorum, quia singulari sua praedicatione et doctrina plurimum Fidem in Symbolo contentam propagarunt.

Tertia ratio seu motivum tandem cur dicatur in reliquis aliis est, ut volunt *Alexander Alensis* loc. cit. *Quarti* vers.: *Tertia ratio, Gutierrez.* lib. 3. cap. 28. quaest. 3., *Merati* loc. cit. n. 4. et alii, quia tales Sancti ob excellentiam auctoritatis seu ratione solemnitatis vel ob jus speciale in aliquam Ecclesiam aut locum hoc honore dignantur, ut eorum Missae votivae solemniter pro re gravi aut pro publica Ecclesiae causa celebrentur. Et ob id dicitur Credo in festo Patroni et titularis Ecclesiae, Dedicacionis seu Consecrationis ejusdem, in Festis Fundatorum Ordinum ac in Festis illorum, de quibus in Ecclesia insignes habentur Reliquiae.

In festo s. Joannis Baptistae, quamvis sit primae classis et cum octava, non dicitur Credo, quia sanctus Joannes Baptista figurat legem veterem et consummavit cursum ante promulgationem Evangelii et institutionem Symboli, ut tradit *Quarti* loco cit. vers.: *Opponi posset; et in simili Durandus* lib. 7. cap. 14. n. 8. et alii. Quae ratio militat etiam *pro festo s. Joseph* et aliis similibus. In festo autem *s. Laurentii Martyris*, quamvis sit secundae classis et cum octava, non dicitur Credo, quia in ipso non habent locum supra assignatae rationes et motiva dicendi Symbolum, nec adest ad id praxis ac legitima consuetudo, cum potius universalis Ecclesia in ejus festo illud omittat, sicut illud omitteret in *festis s. Stephani et ss. Innocentium*, si caderent extra octavam Nativitatis Domini, sicuti de facto omittitur in die octavae *Innocentium* currentis extra dictam octavam.

6) In Missa recitandum.

Symbolum apostolicum coepit recitari in Missa a tempore ipsorum Apostolorum, ut tradunt *Dionysius Areopagita* de ecclesiast. Hierarch. cap. 3. *Durand.* de Ritibus ecclesiastic. lib. 2. cap. 24. n. 14., *Barbosa* ad Concil. Trid. sect. 3. et alii. Et idem Apostolicum Symbolum recitatum fuit in Missa apud Romanos seu in Ecclesia Romana plus quam mille annis, hoc est usque ad tempora Benedicti VII. dicti VIII., qui metu divisionis aut schismatis et precibus sancti Imperatoris Henrici II. jussit ad majorem Ecclesiarum conformitatem, ut Romana Ecclesia in Missa, omisso Apostolorum Symbolo, caneret Symbolum, quod Ecclesiae Hispaniarum et Galliae canebant, id est Symbolum Constantinopolitanum cum illa additione *Filioque* in supradicto Concilio Toletano contra errorem Graecorum facta. Sic *Berno* de rebus ad Missam pertinentibus c. 2. „*Baronius* ad ann. 447. num. 19.“ *Sever. Binius* in notis ad Concil. I. Constantinopolitan., *Barbosa* loc. cit. num. 3., *Lupus* tom. 2. schol. ad Synod. Nicaen. Pontif. cap. 4. fol. 13. n. 14., *Ciaccon.* in vitis Pontific. tom. 1. fol. 759. et alii notantes, quod Ecclesia Romana in Missa per totum illud tempus retinuit ac recitavit Symbolum Apostolorum, quia nunquam a fide apostolica aberraverat et deinde ob supradictum motivum Symbolum Constantinopolitanum recitare incepit. In aliis autem Ecclesiis loco Symboli Apostolorum jam antea in Missa coeperat recitari et cani Symbolum Nicaenum juxta Decretum sancti Marci Papae, ut referunt *Platina* in vita ejusdem Pontificis, *Ciacconius* in vita Pontif. tom. 1. fol. 229. et alii id extendentes etiam ad Ecclesiam Romanam et deinde Symbolum Constantinopolitanum ex Decreto s. Damasi Papae I. et mandato ejus-

dem Concilii Constantinopolitani, ut notant Glossa Marginalis in cap. Canones 1. distinct. 15. Archidiaconus ibid. n. 3. *Pinell.* lib. 2. de Missa cap. 19. et 49. et alii id pariter extendentes ad Ecclesiam Romanam, quamvis tamen probabilius ex dictis supra num. 13. ipsa Ecclesia Romana retinuerit et recitaverit in Missa Symbolum Apostolorum usque ad tempus Benedicti VII. dicti VIII. Consuetudo autem recitandi in Missa Symbolum prius Apostolorum, deinde Nicaenum et demum Constantinopolitanum asseritur a *Durand.* de Ritibus eccles. lib. 2. cap. 24. n. 14. *Anton. Possevin.* in apparatu sacro verb. Symbolum, Card. *Petra* tom. 1. Commentar. ad Constitut. 2. Leonis Magni n. 13. et ab aliis plurimis.

7) A quo tempore in Missa cantatur?

Mos cantandi Symboli in Missa suam ut multi Scriptores ajunt, ab Ecclesia orientali originem tradit, uti post Cardinalem Bonam pluribus probat *Georgius* lib. III. De Liturgia Romani Pontificis, cap. XX. Sunt qui Damasum Papam id sanxisse ferunt, quos tamen Card. *Baronius* anno Christi CCCLXXXI. refellit ac docet, non Damasi Decreto, sed recentiori usu introductum, ut in Occidente intra Missarum solemniam et quidem post Evangelium Symbolum caneretur et Concilium III. Toletanum anno DLXXXIX. celebratum laudabilem hunc usum ex orientali Ecclesia accepisse. Sic enim de Symbolo ipso decantando can. II. statuit „ut per omnes Ecclesias Hispaniae vel Gallaciae secundum formam orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est, centum quinquaginta Episcoporum, Symbolum Fidei recitetur, ut priusquam dominica dicatur Oratio, voce clara a populo decantetur etc.“ Plura de origine hujus ri-

tus jam diximus nos in nostris perpetuis ad Oecumenica Concilia et ad Caeremoniale Episcoporum Commentariis.

In Romana Ecclesia consuetudinem cantandi Symbolum in Missa post Evangelium, longe ante saeculum VIII. invaluisse, docent pervetusti romani Ordines, quorum secundus, num. IX. sic habet: *Post lectum Evangelium, candelae in loco suo extinguuntur et ab Episcopo, Credo in unum Deum, cantatur etc.* Ex Ordine VI. romano num. VII., cautum est, ut Episcopus, ubi post Evangelium praedicatio non habeatur, *alta voce incipiat canere: Credo in unum Deum et ita omnis Chorus incipiens, Patrem omnipotentem, ad finem usque perducat.* Praeterea *Amalarius* in Eclogis, sed excerptis ex Ordine romano, cap. XVI. aperte Symbolum, id est Credo, post Evangelium commemorat ac per illud *dulcius et intentius et praeclaro ore* fidem suam populum profiteri scribit. Ex quibus elicitur, modulatione canore fuisse etiam tunc Symbolum decantatum. Verum *Leo III.* non cantatum, sed lectum Symbolum Romae in Missa tradit in collatione habita cum Missis Caroli Magni anno DCCCIX. „Quod vero asseritis, ideo vos ita cantare, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantasse; quid ad Nos. Nos enim id ipsum non cantamus, sed legimus et legendo docere, nec tamen legendo aut docendo, addere quippiam eidem Symbolo praesumimus.“ Hortatur autem Pontifex ipsos Missos, ut in Capella Regi Palatii Symbolum cantari intermittatur. Iterum ibi *Leo* refert, cantatum haud fuisse ipsum in Romana Ecclesia: „At nunc, quod tamen non affirmando, sed vobiscum pariter tractando dico, quantum menti occurrit, ita mihi videtur, posse utrumque fieri, ut paulatim in Palatio, quia in nostra Ecclesia non cantatur, cantandi consuetudo ejusdem Symboli intermittatur.“

Hinc errant, qui autumant, coepisse primum Romae cantari in Missa Symbolum anno Christi MXIV. quod *Berno Augiensis* in libro *de rebus ad missam pertinentibus*, cap. II. prodat, *Henricum II.* Imperatorem, dum praedicto anno Romae ageret, Presbyteros romanos interrogasse, cur post Evangelium Symbolum non canerent, ut in aliis Ecclesiis, eique illos respondisse, ideo in s. Romana Ecclesia non cantari, *quod ea non fuisset aliquando ulla haereseos faece infecta.* Addit *Berno* ibidem, *Benedictum Papam VIII.* rogatu *Henrici* jussisse, *ut Romae ad publicam Missam cantaretur.* Narrat et haec *Baronius*, qui etiam ita mox subjicit: *Placent ista, sed nobis gratius, si venerandae antiquitati annorum mille magis delatum fuisset, quam novitati.* Sed nulla plane novitas fuit, cum ex superius dictis constet, jam longe ante *Benedictum VIII.* cantatum fuisse Symbolum Romae in Missa. Porro *Edmundus Martene* lib. I. de antiquis Ecclesiae ritibus cap. IV. articulo V. num. XI. ita *Bernonis* verba interpretatur, ut id verum sit de cantu, non vero de illius recitatione, quae jamdiu ante in Romana Ecclesia fiebat. Legendus haec de re memoratus *Georgius* loco citato, ubi et alia multa adnotavit, quae ritum cantandi Symboli in Missa Romani Pontificis spectant. Caeterum quod nostrum §. attinet, ex quo cautum est, ut in Missa solemniam, quae, praesente Papa, cantatur, ubi Celebrans incipit Credo, Cardinales venientes ad circulum, circumstant Pontificem, et cum eo Credo perficiant, legi possunt, quae scripsimus nos in Commentariis ad Caeremoniale Episcoporum.

Tandem ut docet *Caerem. Eccles. rom.* I. II. t. I. cap. II. §. 9. pag. 21. cum dicitur: *Et incarnatus est*, „omnes genuflectunt, Papa autem et Celebrans cum Mitra sedendo profunde

se inclinant, non tamen omnino genuflectere consueverunt.“ Atque haec quidem verba leguntur in editione Romana anni MDLX; nam alias in I. Veneta editione anni MDXVI desiderantur. Quicquid sit de hoc additamento, teste Mucantio in ms. Diario Pontif. Gregorii XIII. ad annum MDLXXIII, ubi enarrat Capita reformationis Cappellae jussu ipsius Pontificis resoluta, in prima Cardinalium deputatorum Congregatione statutum fuit, „quod in die Nativitatis Domini Nostri in Missa majori, Papa celebrante, dum Cantores dicunt versiculum: Et incarnatus est de Spiritu Sancto et Homo factus est, Sanctissimus Dominus Noster profundius solito se inclinet et Reverendissimi Domini Cardinales genuflectant, prout in Caeremoniali dicitur.“ Cautum quoque et illud fuit, quod in Missa, cum dicitur per Cantores versus ille: Et in Spiritum Sanctum etc. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, Sanctissimus Dominus noster, Reverendissimi Domini Cardinales et alii caput inclinent.

(Catalan. Caer. Eccles. rom. I. II. tit. I. c. II. §. 9. p. 21.)

8) In missa dicendum a graecis Presbyteris.

Callistus PP. III.

Ut illa vetustissima periculosaque et damnanda opinio, in eodem et aliis Conciliis continuo reprobata, qua nonnulli minus veraciter affirmare praesumebant, Spiritum Sanctum a Patre solo procedere, penitus eradicari valeat, et quod sacrosancta Romana Ecclesia profitetur, tenet pariter et affirmat, eundem videlicet Spiritum Sanctum ab eodem Patre et Filio aequaliter procedere, sicuti beatus Athanasius, lumine ejusdem Spiritus illustratus, edocuit, dicens eundem Spiritum Sanctum non factum, non creatum, non genitum, sed ex Patre et Filio aeternaliter pro-

cedere, pectoribus singulorum fidelium, pro eorum salute et directione, inseratur, similiter statuimus ac etiam ordinamus, quod iidem presbyteri et sacerdotes, dum infra earumdem sacramissarum solemnia Symbolum ex ordinatione Ecclesiae canunt aut dicunt, illud integre, secundum ritum ejusdem Romanae Ecclesiae, intelligibiliter dicere teneantur et debeant, videlicet: Qui ex Patre Filioque procedit, alioquin omnes et singulos, qui huic articulo orthodoxae fidei ad nostram profecto salutem necessario, et in tot sanctorum Patrum Conciliis iteratis vicibus approbato, contradicere, aut ejusdem catholicae Ecclesiae institutiones observare recusaverint, vel malitiose neglexerint, sententias, censuras et poenas, in eisdem et praecipue Florentino Conciliis antedictis in tales generaliter latas, inflictas et promulgatas et anathema trecentorum decem et octo Patrum, nisi a praemissis erroribus respicere, et unitati ejusdem Ecclesiae se per omnia illico conformare studuerint, incurrere volumus ipso facto.

Quapropter, ne per taciturnitatem posterioris temporis mentes fidelium ab istius credulitate articuli fiant damnabiliter longiores districte praecipimus et mandamus, quatenus processio Spiritus Sancti a sacerdotibus Graecis explicite ei manifeste ponatur in Symbolo, ut fides ad justitiam teneatur in corde, et ad salutem omnium ejus fiat oris confessio, se tamquam filii obedientiae semper sacrosanctae Ecclesiae Romanae matris suae per omnia conformantes, ut fiat unum ovile et unus pastor, juxta ipsius sententiam Salvatoris.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, voluntatis, praecepti et mandati infringere, etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 3. Septembris 1457.

Bull. r. t. V. p. 140. Ed. Aug. Taur. 1860.

Symbolum in qualibet Missa, etiam pro defunctis, recitatur a Graecis, eumque morem servari a Monachis Ordinis S. Basilii jubet Benedict. XIV. Constitutione incip.; *Quem Religioni*: sensum §. 6. Symboli recitatio in Missa a Graeca ad Latinam Ecclesiam tracta est. Idem Constitut. incip.: *Allatae sunt**) §. 28. Symbolum idem sine additamento Filioque a Graecis, et Orientalibus quandoque recitari permisit Apostolica Sedes, quandoque vero hanc facultatem denegavit, prout diversae facti circumstantiae exegerunt. Idem ibi §. 10. Symbolo autem Niceno non solum licuit, sed et decuit superaddere particulam Filioque. Hinc non modo Patres Concilii Zamosch. tit. 1. de Fide Catholica, sed etiam Patres Concilii Libanensis par. 1. eod. tit. 11. provide ac recte statuerunt, ut Sacerdotes omnes eorum legibus subjecti Symbolum juxta consuetudinem Romanae Ecclesiae, cum particula Filioque usurpent. Idem. ibid. §. 60.

Vd.: *Credo; Ritus graec.* (constitut. Bened. XIV. *Allatae* §§. 27, 29; constit. *Etsi Pastoralis* §. 1 — t. III. p. 245.)

9) Quando in missis votiv. in dominicis celebrandis estne recitandum?

Vd.: *Missa votiva de Sanctis* (gloria etc. decr. *Assiss.*, nota); *Missa vot. de Spir. s.* (dies).

10) In missa de requ.

Vd.: *Symbol* (in missa recit. apud Graecos.)

11) In Officio a quo tempore recitatur?

Laudatus Grancolas in comm. ad Breviar. rom. I. II. c. LV. observat, nul-

*) Vd.: *Ritus graecus.*

lum antiquitatis monumentum exstare, quod, *Pater noster*, ante Officium recitandum significet; primumque Monachos id usurpasse, sed tamen post saeculum Christi XII. Quicquid sit, saeculo certe XV. mos ille servatus videtur, ut Romae saltem sola Dominica Oratio Officio praemitteretur; ipsius enim solius Orationis mentionem facit noster §. itemque mss. Caeremoniarum Apostolicorum ejus aevi Diaria, praesertim vero Burchardi, qui ad annum MCDLXXXVI ubi agit de Feria quarta majoris hebdomadae, inter alia, ait: Pontifici in sua Sede aliquantulum quiescenti fecisse se signum genuflexum coram eo qui surrexit, et semidetecto sibi ipsi capite versus ad Altare dixit secrete, *Pater noster*, quo per ipsum secrete completo, tegit sibi ipsi caput et sedit; debebat tamen stare quousque Cantores, completa Antiphona inciperent Psalmum. „Et revera ita praescribit noster §.“ Cum quieverit aliquantulum, surgit et detecto capite versus ad Altare dicit secrete: *Pater noster*, quo completo, caput sibi ipsi cooperit, et Cantores incipiunt pro Matutinis: *Zelus domus tuae* etc. Cum incipitur Psalmus, Papa sedet, et omnes alii. Caeterum non mirum videri debet, si noster §. et antiqua ms. Diaria solam Orationem Dominicam praemittendam dicant, cum S. Pius V. *Pater noster*, secrete, atque etiam, *Ave Maria et Credo*, ante Officium in Romano Breviario recitari primus jusserit, uti post alios notavit Grancolas in suo ad ipsum Breviarium Romanum Commentario Lib. I. Cap. XXV.

(Catalan. caerem. Eccles. rom. I. II. tit. II. §. III. p. 161.)

12) Cum Organo modulandum?

Abusum Symbolum sub Organo modulari, minime tolerandum sed om-

nino per Episcopum provideri, ut integre intelligibili voce decantetur, ita ut a populo distincte audiri valeat. n. 1817 ad 3. die 10. Mart. 1657.

Vd.: *Symbol.* (cant. a choro.)

Ad dub.: An cum dicitur symbolum in missa sit intermiscendum organum?

Resp.: Symbolum in missa distincte a fidelibus audiri debet. Hinc in eo nequit organi sonitus intermisceri ita, ut decantato uno versu, alter versus submissa voce recitetur, dum interim organum pulsatur. Si hoc sensu allatum dubium proponitur negative omnino respondendum est eodem modo, quo jam in altero decreto diei 10. Martii 1657 in Seguntina ad 3. S. Ritu Congregatio respondit declaravitque „abusum huiusmodi minime tolerandum, sed omnino per episcopum prohiberi, ut integre intelligibili voce Symbolum decantetur ita, ut a populo distincte audiri valeat.“ Si vero eo sensu exhibetur, ut nulla pars Symboli in cantu omittatur, et voce intelligibili ac distincta juxta adductum decretum omnes versus decantentur, sonitus organi tolerari potest, quamvis hoc in usu generatim non sit, ubi in missa cantus Gregorianus, seu ut dicunt firmus adhihetur.

S. C. C. resp.: Symbolum integre canendum, etiamsi pulsetur organum.

Die 7. Sept. 1861.

(Anal. J. P. 1863 p. 2249.)

13) Sacerdos infra cantum Symb. non debet prosequi missam.

Vd.: *Missa* (abbreviatio); *Ritus missae* (non mutand.)

SYNODUS.

1) Dioccesana.

a) Diocesium unitarum.

I. In qua civitate habenda?

Ad dub.: An Synodus alternatim

ab Episcopo convocanda sit in ecclesia cath. Viterb. et in altera Tuscanensi, seu potius separatim et pro unaquaque ex dictis resp. ecclesiis in casu?

S. C. C. resp.: Arbitrio et prudentiae Episcopi quoad utramque partem, prout magis in Domino ad utriusque ecclesiae utilitatem expedire judicaverit.

Die 11. Jan. 1783 *Viterbien. et Tuscan.* ad 1.

Ad dub. Approximante tempore celebrationis Synodi, stante quod Ampuriensis unita sit aeque principaliter Civitalensi dioecesi, nullus in hac re fultus consuetudine supplicat edoceri, an ipse teneatur celebrare synodum in utraque dioecesi.

S. C. C. resp.: Affirmative alternatim.

Die 8. Maji 1649. Eandem regulam secuta est S. C. in *Pennen. et Adrien.* die 16. Aprilis 1622.

Civitatis Castellanae.

Cathedrali Ecclesiae Civitatis Hortae univit Eugenius IV. Pontifex Maximus anno 1437 aliam Cathedralem Ecclesiam Civitatis Castellanae, ita ut unus esset Episcopus, qui utramque Ecclesiam ambasque Dioeceses regeret, methodo et forma in suo Motu proprio praescripta. Ab eo tempore ad annum usque 1582 quotquot fuerunt Episcopi sese in omnibus actibus, aut simpliciter Hortinos Episcopos dixerunt, aut praemisissent Hortinum Episcopatum alteri Civitatis Castellanae. Variatum fuit anno 1582, quo sedente Gregorio XIII. Episcopus electus fuit Andreas Longus praemissa denominatione Civitatis Castellanae. Variationis causa dicitur elenchus Episcopatum, qui servatur in Cancellaria Apostolica, in quo litera initialis Civitatis Castellanae praecedit literam initialem Civitatis Hortae. Quidquid autem hac de re sit, novitate commota Civitas Hor-

tae, ejusque Capitulum, et Clerus univertus adiverunt Sacras Congregationes Rituum, et Episcoporum ac Regularium pluribus editis juribus, et expedito coram Cardinali Vicario Urbis monitorio, ut metu Censurarum compellerentur testes ad veritatem pandendam, prout detecta fuit ab ipso Episcopo Longo, Archipresbytero, aliisque Capitularibus Civitatis Castellanae, sed opera et studio ejusdem Episcopi, qui Hortinae sedi pristinum honorem restituit, sopita lis fuit ad annum usque 1607, quo ipse decessit. Recruduit tamen inde; novus enim Episcopus suadente Capitulo Civitatis Castellanae Dioecesanam Synodum in ea Civitate, non in Ecclesia Cathedrali Hortina indixit. Clamarunt Capitulum, Clerus et Civitas Hortae ad hoc Sacrum Tribunal, a quo prudenter jussum fuit, ut Episcopus abstineret a convocanda Synodo, donec jura utriusque Ecclesiae cognoscerentur.

Anno igitur 1624 die 8. Junii sex dubia, quibus controversia omnis complectebatur, proposita fuerunt, et caeteris definitis, altero eorum, quod erat: *In qua ex dictis Civitatibus sit primo inchoanda Synodus?* responsum fuit: *Synodum esse indicendam ac celebrandam in Civitate Castellana, in qua ad praesens Episcopus reperitur, et deinde in Civitate Hortana, et sic deinceps singulis annis observari debere absque tamen praejudicio Partium tam in Petitorio, quam in Possessorio Judicio, et donec Articulus Praecedentiae plene cognitus et definitus fuerit.* Plures post hoc provisionale decretum indictae et actae fuerunt Synodi, servata forma ejusdem decreti, cum numquam de praecedentia proposita quaestio fuerit. At cum nuper ab Episcopo indicta fuerit Synodus in Civitate Castellana, quae juxta ordinem decreti iudici debebat in Civitate Hortae, iterum excitata

est controversia, cujus scientia delata ad SSimum Dominum nostrum jussit convocari in Civitate Castellana, *salvis tamen juribus Partium contendentium, ita ut nemini praejudicium ullum sive in Petitorio sive in Possessorio per hujusmodi Synodi celebrationem, seu interventum, aut per praesens Sanctitatis suae rescriptum inferatur.* Post hoc rescriptum de proponendo Dubio, quod complectebatur locum agendi Synodum, actum fuit, sed decreto Eminentissimi Domini Cardinalis Pro-Auditoris Sanctissimi Causa quoad omnia Judicio Sacri hujus Tribunalis commissa fuit, ideoque alia dubia adjecta fuerunt, quae omnia nunc proponuntur, disputante Capitulo, Clero et Civitate Hortae majorem esse dignitatem eorum Civitatis, quam ab innumeris actis, et ab ultima Italiae nostrae repetunt antiquitate, ut cognoscent Eminentissimi Patres ex libello, quem dabunt. A Capitulo Civitatis Castellanae nihil habuimus. Tria sunt Causae capita:

I. *An et cui Ecclesiae Cathedrali competat Praecedentia pro inchoanda Synodo in casu?*

II. *An et cui ex dictis Ecclesiis competat Praenominatio in Bullis Provisionum Episcopatus et in caeteris actibus communibus respicientibus utramque Dioecesim in casu?*

III. *In qua ex dictis Ecclesiis sit prius per Episcopum capienda sollemnis Possessio in casu?*

S. C. C. resp. ad I.: Competere Ecclesiae Civitatis Castellanae. Ad II.: Capiendam esse in Ecclesia Civitatis Castellanae. Ad III.: Competere Civitati Castellanae juxta alternativam.

Die 4. Mart. 1758 et 10. Mart. 1759.

Viterbien.

Jamdiu apud Sac. Congregationem Episcoporum et Regularium conquesti